VVAREMUNDI SINCERI
AD
DESIDERIUM SINCERUM
PROSOPOGRAPHIA
QUATUOR
Sacri Romano-Germanici Imperii
ELECTORUM SECULARIUM.

Seneca de tranq. anim. cap. 15.
Catoni ebrietas objecta eſt. Sed quisquis objecerit, facilius efficiet hoc crimen honeſtum, quàm turpem Catonem.

ANNO M. DC. LXVIII.

Multa contra Principes lux eſt: omniũ in
Ipſos converſi ſunt oculi. Seneca
Ea Ipſorũ conditio eſt, ut qvicqvid faciãt,
præcipere videantur. Qvintilianus.

Sincerus Sincero.
S.

VIdiſti, Sincere, fautorum & amicorum optime,
deſideratam tot vicibus *narratiunculam*,
quâ formam, mores, opes cæteraqve omnia
de *Imperatore* Veſtro circumferri ſolita
nec Theonis nec Gnathonis arte adumbrare volui.
Nunc *politicos quatuor Imperii Antiſtites
primarios* accipe, & qvidem, quod tuo placet Genio,
delineatos rudi Minerva, ſine noëmate, candidè & brevibus.
Aperta enim bonitatem decent atq; ſimplicia.
Mox *Regum* quoque tibi proferam imagines,
reliqvorum inſuper Europæ *Principum*,
Rerumpublicarum itidem Metamorphoſes
non fingam, ſed pingam. *Mentiri bonos dedecet.*
Nusqvam Polygnoti utar penicillô nec Pauſonis etiam:
Vir ſincerus coloribus delectatur Dionyſii,
pulchritudinem atq. nævos, bona, mala, peſſima,
naturam imitandò, ſincerè libèreqve referens.
Tuis hæc penatibus & ſecretis Laribus
conſecro. Qvod proderit privata curioſitas
hinc carpat. Profanum vulgus, quod calculum
plerunque averſatur album, ignorat fœlicius
ſecreta Principum, ſi modò ſecreta dixeris
hæc talia nota lippis atque tonſoribus.
Non omnia rimor, nec abſtruſa, nec enim ſcrutator cordium
eſſe qveo. *Habent hoc omnes magni Principes,
ut coli malint quàm indigari, neqve melius
majeſtatem ſuam vendicant, quàm ſi ejus maximæ
pars ignoretur. Ignoti major eſt admiratio.
Admiratio maxima non parit verba ſed ſilentium.*

Vulgata congero & cenſuram populi promiſcuam
candore moderatam, canditus ipſe contraho,
Veronam verſus iter non Placentiam dirigens:
Teſtem invoco, *quæ mentiri neq[illegible]it, conſcientiam.*
Hinc bonos neutiquam metuo. Malus iraſcitur
vera de ſe loqventi. *Virtus veritate nititur,*
veritate robur acquirit, veritatem dici expetit.
Omnes nati ſumus ex eodem limo & pulvere,
Omnes ſtultitiæ communis particulam hauſimus.
Larva eſt unica, *honeſtior* diſtinctio.
Philautiâ dementatus eſt, qui in ſe vitia
eſſe negat. *Dii* ſunt Principes, fateor, ſed *mortales,*
humani à qvibus alienum nihil eſt.
Inter mortales nemò hactenus exſtitit,
cujus virtutes nullo vitiorum læderentur confiniò.
Nec David, *Vir Dei,* ſapuit horis omnibus;
Et quantum à recta aberravit *Salomon?*
Ebrietatem amabat *Alexander, Veſpaſianus* avaritiam;
Aliquando & *Homerus* dormitavit optimus.
Præſens noſtrum Tempus, eheu! atque Præteritum
omne eſt imperfectum, nulla Perſonarum Numeris
omnibus eſt abſoluta, Perfecta autem tempora
& plusquam perfecta Futura ſunt; ſine Modo durabilia.
Ne virtutes fingi putes, indicare volui vitia;
vitia ſanè nec numero nec pondere virtutes adæquantia.
Si cantinua cantâſſem encomia. Tibi & cordatis omnibus
ac religioſis geniorum ſcrutatoribus ſuſpectus eſſem meritò.
Omnis laudator perpetuus adulator & inſidiator eſt:
moleſtus ingenuis, nocens mundo, Satanæ latrunculus,
Draco linguâ lambens, ſecuros caudâ vulnerans.
Deſiderata mitto, *Deſideri, Verus ore. Sincerus calamô.*
Nullas ex arte, quæ nulla hîc, ſed ex veritate, quæ unica,
ſimplex & conſtans eſt, captare laudes cupio.
Non pungo, nec ungo: non Panegyricum nec Satyram
compilare prurio; rem uti eſt narrare geſtio.

Si deteriora quæ refero non abſona fidei
credis, cur dubitares meliora eſſe veriſſima?
Non tamen dictatoriè loquar, nec ex ſacro tripode.
Te penes cenſura ſit, trutinando judica,
lauda, caſtiga, proba, ſperne, *ſincerè omnia.*
Cuncta qui approbat, ſimplex eſt, qui nihil, invidus.
Mea opinione *nulla magis omnibus diſplicent,*
quàm quæ ſic fiunt, tanquam omnibus placeant.
Sophoclem imitari nolo, imitor Euripidem,
Interim Poëta non ſum, loqvor enim veriſſima.
Nec etiam quid fieri debeat, ſed qvid fiat, annoto.
Non ut juris, ſic & facti laboro ignorantiâ
Et qua confidentiâ darem illis, à qvibus accipiam regulas?
Sed de potentibus etiam veriſſima ſcribere,
minùs grata ſi ſint, res periculi plena eſt.
Non ſemper ſua Byzeno libertas fuit innocua,
nec ubique tuta ſinceritas. *Veritas parit odium.*
Leonis vivi barbam vellicare imbellis abſtineat.
Ita eſt. Ignoti & inſidiatores abſtineant.
Generoſus leo manus beneficas atque pectines
amici expetit & admittit libentiſſimè.
Veritas malorum parit odium & inſolentiam acuit.
At libertas modeſtia refrænata, ſinceritas reverentia
temperata, veritas ſine dente, candor ſine impudentia,
judicium ſine arrogantia ſine adulatione laudatio:
Hæc ſunt, quæ bonis ſemper placuere principibus.
Cæteros non vellico. De malo tutius loqvatur poſteritas,
præſens cautius ſileat ætas. *Oderit, dum metuat.*
Optima quæque mihi jure promitto *ab optimis.*
Verùm ſuppreſſâ cauſa effectus nullus ſperandus eſt.
Arbor niſi ſub dio fructus producit exiguos.
Det hæc nulli umbram, Tibi mihique ſurculos.
Vale, Sincere, & fave. Germana quod dextra porrigit,
Germana fide ſuſcipe; Nam hac & *antiqua fide beabimur.*

BAVARUS.

INter *Electores Imperii* poſt *Regem Bohemiæ*
primas tenet *Dux Bavariæ*, heroici ſtemmatis
Palatini germen, inclytis fœlix natalibus,
Sacræ Germanorum Reipublicæ Archidapifer,
quod munus Ipſi tribuit infauſta degradatio
Cognati, oblatum volentis ferre diadema.
Hæres inſperatus, atque ex diu ſterili conjugio
prognatus, à Superis Religioſorum operâ
exoratus, nimirum ne alienus ab Eccleſia,
ſic perhibent, vigore pacti ſucceſſorii
terras recuperaret paterno amiſſas infortunio.
Formâ gaudet *Princeps* fœlici, gravisque modeſtia
præ ſe fert ſpeciem, gratam colloqventibus.
Rara ipſum & hæreditaria commendat pietas.
Clemens eſt & facile ſuccurrit laborantibus.
A vindicta ad lenitatem *Ejus* cum judicio
inclinat animus. Securitatem ſecuritate mutua
paciſcitur. Fera cœde & intempeſtiva abſtinet.
Imperium *Ejus*, qvia illo gaudet ſubditus,
firmisſimum eſt. *Fons amoris clementia
eſt Principum, & amor populi, clementiæ.*
Juſtitiam ſervat ſtrictam & æqviſſimam.
Viarum ſecuritati proſpicit publicæ,
provinciam ubiqve à malis purgans hominibus.
Immerentes non facilè ad honores promovet,
ne indignum evehendo dignis inferat injuriam.
Functiones non cumulat, nec uni nimium
concredit, ne unius nimiùm augeat ſplendidam miſeriam.
Gradus obſervat in Officiariorum promotionibus

merita

merita reſpiciens: & ſic fortunæ ſuorum conſuluit.

Saltum fugiat & altum qui metuit præcipitium.
Gradus quos regreſſus ex repentina fortuna obtinet,
ſaltus ſunt. Quævis machina quantò eſt proprior
cœlo, tantò proximior quoque eſt fulmini
Attende & videbis, qvod inter res mortalium
nihil omnium magis infirmum ſit & labile,
quàm potentia non ſua vi nixa & arrogans.

In conſiliis magis terreus eſſe dicitur quàm igneus.

Laudatur provida cunctatio, præcipitata conſilia
ſeram plerumqve pœnitentiam habent pediſſeqvam.
Lentè feſtinantes emendant errores feſtinantium.

Candidus eſt, verax, apertus & hinc credulus.

Credulitas agnatum bonis mentibus eſt deliqvium.
Vitioſorum fœdiſſimos eſſe mendaces judicat;
vileſqve illos aſſentatores, qvibus non ſtirpis reverentia
ſed umbra nudat caput, digno proſeqvitur odio.

Diligenter eligit qvibus conferat beneficia.

Turpe genus perdendi eſt inconſulta donatio.
Prudens agricola arenis non immittit ſemina.

Rem populi amat, *Suumqve* veneratur *Cæſarem*,
acceptæ dignitatis memor & potentiæ,
Sæpius nominibus valida inſunt omnia.
Dux ſagaciſſimi fundatoris Ordinis
Ignatii & ſimul *Ferdinandi* bellicoſiſſimi
Imperatoris atqve *Glorioſæ Virginis Deiparæ*
Mariæ nomina gerit: hinc ominari poteris:

Satellitium alit præſidiumque ſplendidum.

Splendidus in omnibus, victu, ludo & habitu.
Aulam inhabitat ferè incomparabilem
ſymmetriâ, materia, firmitate & magnitudine.
Miniſtrorum non reqvirit copiam ſed ſufficientiam.
Ubi ſervi abundant, ſecretum nullum & lenta ſervitia.

Exteros miratur promovetqve aulicos,

Conjugis præſertim Sympatriotas atque Italos,

multa

multa deferens, multaque cedens ſeqviori ſexui.
Sed Cythersam non laſſat: & licet non ſit abſtemius,
anima tamen Ejus non natat in vino & epulis
Pantomimis delectatur artificiisque ſymphoniacis.
Exotica varia conqvirit naturæ miracula,
qvibus peregrinantium obſaturatur curioſitas,
Potentiâ inter Germanos *Brandeburgum* ſeqvitur,
ſed theſauri opulentiâ vix ulli cedit Principum;
nam Provincias duas tenet amplas & feraciſſimas,
atque titulo Oeconomi vigilantiſſimi illuſtris eſt,
Pacem amat, ſed bellatoris, ſi quando neceſſitas
hoc poſtulaverit, vicibus non deerit,
moderni id indigitant apparatus bellici.
Hunc habenas olim recturum Imperii,
deficiente *Auſtriaci Stemmatis Induperatore*
(Cui ſeram poſteritatem da videre, DEUS, & ſceptrum durabile, de hoſtium tryumphans potentia & inſolentia!)
autumant, nam conſilio valet & opibus.
Religionem inſuper ſectatur Romanenſium
idque religioſè ſatis, ſi modo non nimis Lojaliticè,
ferè dixiſſem politicè. Ignatianis enim Clero-Politicis
(qvi aliud ſimulando tectis callidisque conſiliis
magnam jam Orbis partem moderātur, voluntates Principum
in ſua trahentes commoda) regimen conſcientiæ
committit. Horum in momentoſis ſciſcitatur oracula,
verè *oracula*, cum *æqvivoca* ferè omnia.
Hiſce cenſus immenſum auget, hiſce ſuperbiſſima
exſtruit palatia, Ipſi quæ ſcolas appellitant.
Natura regimen corporis potentiſſime commiſit Capiti.
Membrorum reliqvorum maxima in obſeqvio eſt utilitas.
Propriò unumquodque glorioſè fungitur munere,
indecorè alieno. Ait Pictor, Ne ſutor ultra crepidam
Neſcio an ſcola aulam, an aula ſcolam fœlicius
regat, & quænam politiores ſtatus cudat maximos.
Non ſegnem olim Juvenis ſtudiis natavit operam;

hinc

hinc multùm adhuc favet Muſarum cultoribus.
Quod cura, quam conſervationi ſuæ Academiæ
liberaliſſimè impendit, teſtatum facit affatim.
Gabellarum ac tributorum ingratis ponderibus
ſubditos etiamſi nonnunquam ſubjiciat,
cavet tamen exactores ſuo officio
abutantur, vel legem trahant ad malitiæ
& utilitatis ſuæ, uti ſolent, compendium.
Multa cupit, multa capit, ſed cenſas interim
rigorem æqualitatis quoque ratione temperat.
Principis unigeniti tenella adhuc infantia
ſpem multorum exercet. Huic *fratres* clericus
vovet & *Parenti patriæ Patri* annos Neſtoreos.

SAXO.

DUx *Saxoniæ* ſtirpis ſerenitate eminens,
Heroum, Regum, Imperatorum Nepos eſt,
Imperii Teutonici Archi-Mareſcallus,
mores inclinationesque ex aſſe poſſidet patrios,
& ratione provinciarum atqve redituum
ultra ſemiſſem *Parenti* hæres exſtitit;
Fratribus portiones ſuas jure repetentibus.
Severus fronte, niger comâ, ore rubicundus,
vocis & inceſſus gravitate ſpectabilis,
martium illum refert *Wedekindum* celebrem
familiæ Saxonicæ & *Regis* (ſic ferunt) *Ititgeri*
fundatorem: aviti moris obſervantiſſimus.
Literas ipſe ad pompam non didicit, ac Literatos clementiâ
ſingulari fovet honoribus & muneribus afficit.
Egregia egregiis ſolvit viris ſtipendia.
Dicaſteriorum & ſcolarum barbariei it obviam,
quantum impendio poteſt atqve diligentiâ.
Duas ſuſtentat Univerſitates munificentiſſimè
Doctorum virtute & auditorum freqventia celebres.
Secura viatoribus præſtat itinera.
Rigoroſis conſtitutionum provincialium regulis
Juſtitiam applicat, miniſterio ſuorum crimina
mulctâ, ferro, flammâ, undis, fune puniens:
ad punitionem quàm ad indulgentiam exiſtit pronior.
Blanda Principum indulgentia ſegnes efficit ſubditos
Axis circa quam Reipublicæ machina volvitur
Jus, ſtrictum eſt: æquitas, Æquator: Poli, pœnæ & premia
Omnia in medio. Omne fert punctum quò innititur medio.
Harmonica diſtributione erogat officia.
Æqvioribus tribunal, arma fortioribus,

fidelio-

fidelioribus ærarium, cenſuram integrioribus,
devotioribus ſuggeſtum, & ſtatus gubernaculum
prudentioribus concredit & ſapientioribus.

Gratis adhæc adminiſtratio conceditur munerum,
Qui munus emit munere, ſine munere eo vix fungitur.
Corruptæ autem civitatis Phtiſis eſt mercatio juſtitiæ.
Ubi egentium virtutes à magiſtratu pervicax
licitatio excludit, ibi pretium furtivorum munerum
patrimonii ruinam reparet neceſſe eſt.

In verbis amat parſimoniam, garrulitatis vitium
averſatur, nam hoc plerumque maledicentia
comitatur. In cæteris parcus eſt minimè,
Lyæi Cererisque dona ſpargit manu liberaliſſima:
Hiſce delubra exſtruit, hiſce perlitat ſæpius.
Horum deliciis dum delinere curas Muneris
atque Regiminis acrimoniam edulcare ſatagit,
nonnulla ſub auſtera incurrit incommoda,
qvibus cœlo grata non eſt obnoxia abſtinentia.
Hinc contriſtantur Zelotes, indignantur Xenocrates,
qvos explodunt, lætum Iô pæan! intonantes Thyrſigeri,
& amphitetis interea certantes laureolas
merentur ſybariticas, jachi athletæ ſtrenui
qvibus pergræcatio virtutum politicarum gratiſſima,
Platonica autem diæta algâ & hilo eſt vilior.

Neſcio an Pater Liber ſemper ſit absqve Venere.
Sed illa hic furtivis Martis amplexibus
vix delectabitur. Pacata hîc ſunt omnia.
Princeps amat populum & togatam vult eſſe patriam.

Venatu, Muſicâ & aleâ recreationis loco maximè utitur.
Exoticotamias beluis aliisq; admirandis habet inſtructiſſimas.
Palatia, munimenta, armamentaria & eqvilia
ad invidiam usque adornat magnificè.

Pompâ quoad cætera quoqve ſpectabilis eſt regiâ.
Stipatus ingreditur ſatellitium agmine
robuſto, fideli, ſplendido, exotico,

Sarmatia, quod mittit & fortis Helvetia.
Sic moribus noſtris exterum decus rebus gratiam
& neſcio quod ſplendoris augmentum conciliat.

Non multas *Ipſe* terras luſtravit exteras,
nec varios hominum mores, qvibus quoque ſæpiſſimè
animus inqvinatur magis quàm excolitur.
Poſt longas peregrinationes hoc plerumque diſcimus,
Sapientiorem mentem ferè quieſcendo fieri.
Cum pleriqve peregrinentur non ut apes ſed araneæ.

Expenſæ, quæ ad ſplendorem magis videntur eſſe compoſitæ
quàm ad neceſſitatem, licet debilitent ærarium
non tamen exhauriunt, æqvitas quoque *Principis*
immodicum vectigal nec Svadæ nec violentiæ
artibus extorqvet ſubditis: Qvæſtorum calculum inſuper
exqviſitæ ſubmittit cenſuræ, cavetque ſeriò
ne rem agricolæ auferant cum pulviſculo,
ſuasque burſas ſemper efficiant provincialium
ſpoliaria, & ita Fiſcalium ſpongias.
Juſtum utique eſt inde repeti, unde cauſa eſt inopiæ.

Unici Lutheri, cujus Ipſe opinionem publicè
approbat, diſcipulis permittit exercitium
religionis, excluſis ſectariis reliqvis omnibus
aulâ, foco, ſcolâ, officinis, immunitatibus.
Ne libertas conſcientiæ inducat neceſſitatem criminum.

Majeſtatem, ut decet veneratur *Imperatoriam.*
Vicinitate innoxia gratus eſt *Principibus*
Fœderibus & affinitate ſuam auget potentiam.
Filius hæres unicus, qvi nuper *Primogenitam*
Danorum Monarchæ (qvem jam in faſtigio
ſummæ poteſtatis regiæ Orbis ſuſpicit,
& *Cujus* inſperatam admiratur ſœlicitatem)
ſibi fauſtiſſimo copulavit matrimonio,
nomen gerit *Patris* & *Avi Johannis Georgii.*
non ſanè absque omine, *Hos* enim ſeqvitur per omnia.

BRAN-

BRANDEBURGICUS.

S*Axonis* vicinus *Marchio Brandeburgicus,*
Imperii Germanici Archi-Camerarius.
Antiqua ortus domo atque ſereniſſima,
Regibus ac Cæſaribus affinitate & ſangvine
junctus: *Patris* ex aſſe hæres digniſſimus.
Omnium *Hic Electorum* eſt potentiſſimus.
Septentrionalibus haud impar *Regibus,*
opibus, conſiliis, rebus geſtis, fœderibus.
Tractatus terrarum ingentes poſſidet,
ab ortu in Occaſum usque Solis Germanici;
Lituanos jungens ſemi-barbaros cum Weſtphalis
atque Cliveniſum gente nobili & cultiſſima;
Boruſſos animoſos gubernans regio imperio;
Pugnacis Pomeraniæ incolas ad obſeqvia
paratos habens; maſculis & ingenioſis Saxonibus
Sileſiisque, ferocibusqve Caſſubis & Vandalis
aliisque Borealis Alemaniæ jus dicens populis.
Marchia ditionum caput, martialium capitum ferociſſima,
avitum eſt patrimonium, cœteræ virtutis peculiaria,
Martis autoramenta faventisque Mortæ donaria.
Formâ decorus, crine flavus, ſtaturâ egregius,
Vir acertos humerosque gerit Teutonicis ſimiles
priſcis, Heroëm referens Herculeum.
Nam & monſtra venabulo proſternere,
& globos agili brachio manuque valida
ingentes ferreos in gyrum ſcit vertere,
haſtamque vibrare Peliadem, multaque alia
Semnonici roboris edere ſpecimina.
Impotens tyrannus & aſſaſſinator podagra,
virtutem hanc quandoque diſſipare & frangere nititur,

ſed frangitur ipſa Archiatrorum vigilantia.
Frangunt, enervant, leniunt quod non poſſunt tollere.
Leoninos artus mens agni mitiſſima
comitatur, nam & hoc decet Heroëm.
Bonus Princeps ſummum imitatur PRINCIPEM
Clementia qui potius quàm rigore mortalibus
ſuam conteſtatam facit potentiam.
Præterit, Ecce, DOMINUS, ſed non in igne DOMINUS.
non in commotione DOMINUS: Sibilus, aura tenuis,
Pius eſt *Fridericus Wilhelmus,* juſtus & miſericors.
Miſerabiles non deſpicit alto ſupercilio;
alloqvio & auxilio ſupplicantibus gratiſſimus.
Tempeſtiva interim ſeveritate & æqviſſima
authoritatem Judice dignam conſervare ſatagit,
benignitate & rigore juſtitiam temperans.
Timor temperatus inſolentiam cohibet,
aſſiduus & acer in vindictam provocat.
Contemtor animus & ſpurca ſuperbia,
non rara illa, eheu! Nobilitatis contagia,
æterno hîc mulctata ſunt exilio.
Veſte non temerè alia utitur quam domeſtica,
Virumque deformari putat monilibus,
& ornamentis mulierum delicatulis,
mavultque cum Alphonſo apud ſuos excellere
moribus & authoritate, quàm vanâ purpurâ.
Authoritatem hanc ſubditorum ſeqvitur
admiratio, amor & conſtans veneratio,
ac fervidum bonorum parenti deſiderium.
Literis, qvibus imbutus eſt, vere fruitur;
verba amans & res aulam & ſcolam ſapientiæ.
Non ſubſellia aut ollas Ludimagiſtrorum olentia.
Haut ille qui multa, ſed qui multum & idonea
vitæ tenet, Philoſophi & Politici meretur titulum.
Theoria doctiores, praxis meliores efficit.
Magis verò Princeps bonus quàm doctus optandus eſt.

Nihil

Nihil ſolidæ ſapientiæ odioſius acumine nimio.
Ariſtâ nihil acutius, ſed & nihil æquè fragile.
Tres Patriæ & Orbi fovet Academias, laudabiles
Docentium & diſcentium doctrinâ & induſtriâ.
Auguſtum & famoſum illud *Carpophororum* ſodalitium
(quod ingenioſiſſima *Principum Anhaltinorum* ſolertia
ſtabilivit, ut fluctuans Germaniæ ſcribendi licentia
firmaretur, & heroicæ lingvæ ſua vendicaretur dignitas
ſocietate illuſtrat, authoritate tuetur, favore animat.
Neceſſitati aulicæ interdum paret, poteſtq; vincere
poculis; Sed Bachi herus eſt, non mancipium,
ſervire eum jubet in aula, dominari minimè
Væ Principi cujus corpus in ſagina lætum eſt,
animus autem in veterno langvet & macie!
Sicca prudentis mens eſt. Maledicta ebrietas
homines transformat in pecora, & brevis temporis
hilarem inſaniam longiſſimô penſat tædiô.
Venere non abutitur, nullum hinc orbi ſcandalum
nec exemplum imbecillioribus nocens metuas.
Vento avaritiæ non afflatur. *Exiccat hic rorem gratiæ,*
fontem miſericordiæ humanitatisque rivulos.
Beatius & honeſtius eſt dare quàm accipere,
maximè Principis, qui beneficentiâ ſimilimi
DEO fiunt. Hæc virtus eſt, quæ iis faciem
non aliam inducit, quàm ſereni ſyderis.
Amant cuncti eum, à quo ſperant accipere;
rapax verò & tenax ſecretum omnium incurrit odium.
Liberalis eſt munificus atque magnificus.
Gratioſè levat honeſtam paupertatem innocentium.
Splendidè remuneratur benemeritos magiſtratu, feudis, ſalari-
Tarditasque ſi qua ſolutionis fortè incidit, (is:
munificentia ejus id compenſat extraordinaria.
Sed beneficia dat, non projicit, indecoræ largitatis neſcius.
Falluntur quibus ſpecie liberalitatis imponit luxuria.
Tiberii exemplo tempus iræ dare didicit,

lingvæ

lingvæ ferre lubricitatem & ſupernè deſpicere
imbecilles crabronum morſus, ſecurus conſcientiâ.
Non amicis ſolum, aſt quoque hoſtibus
dictorum factorumque præſtat conſtantiam,
Germanamque fidem & honeſtum ſummo etiam utili
præfert. Exemplum hujus virtutis Orbis loqvitur,
„ horrendam Danici Bironis execratur perfidiam
damnat memoriam, & ſanctiſſimam *Principis* (neratus.
religionem, quæ nec proditorem nec proditionem amat, ve-
Semper quidem ſumma ſcelera incipiuntur cum periculo;
ſed non ſemper peraguntur ſperato cum præmio.
Nec unquam lætata diu fuit ſpes inproba.
Atticam probat fidem, deteſtatur Punicam, ſed cum Cretenſibus
cretizare novit, aculeoque opponere aculeum.
Diſſimulare decet Regentes, mentiri dedecet.
Servile hoc eſt vitium; iſta virtus Principis.
Vulpinam leoninæ pelli aliquando aſſuere
neceſſe eſt, nî cauſam imprudens velis perdere
Sed magis piè columbina innocentia,
cum colubrina jungitur prudentia.
Aſtu bene fermentata tryumphat ſinceritas.
Mercaturæ amplificatione cives beare cogitat,
fœliciterque tentatis *fluviorum conjunctionibus,*
Reipublicæ, Fiſco & Arealiæ valde proficuis:
quæ & ditat nupera œconomiæ reformatio,
& cauta Officialium ſuperfluorum abrogatio.
Sanè ne Magnates qualibet preſſi anguſtiâ
teneantur confugere ad ſacram illam anchoram,
ſubdia plebis dico, decorè admodum
Oeconomiæ addunt fructiferum mercaturæ ſtudium.
Alit honoribusque afficit ſagatæ Minervæ alumnos,
& ſemper habet à latere Sacerdotes Themidis.
Horum auſpiciis, illorum telis difficilima varia
tentat, & ad metam perducit fœliciter,
creſcente ſemper in ipſa rerum difficultate animo.

Non

Non Vertumnis, ſed ſcientia & uſu præçellentibus
Viris præcipua concredit ſtatus gubernacula.
Hinc conſiliis pollet atque canâ prudentiâ,
quibus hoſtibus & inimicis ſe reddit terribilem.
Sed decernit ipſe, Miniſtris ſufficit gloria obſequi.
Diſcordiam, quâ ſocietates disſolvuntur aretisſimæ,
exulare vult ab aula, pro ſcriptis factionibus.
Officiarii digni ut præſint functionibus
curat, idcirco animum in hominibus
non patriam æſtimat, neque in advenis
ſortem naſcendi punit: merita impenſius, quàm perſonas
(penſitans,
Saluti qvô magis conſulat publicæ,
ſimulqve authoritatem tueatur abſentiâ,
evitando illud aſſiduitatis faſtidium,
ſe ſœpius amovet, ſedemque reverentiæ
modò in hanc modò in illam transfert provinciam.
Numeroſo validoqve cum agmine belligerantium,
facto cùm opus eſt, campos ingreditur,
Ipſe ordinans acies ducesque phalanges,
legentibus veſtigia chiliarchis cordatiſſimis,
hoſtium turmis gravia immittit tonitrua.
Sic *Svecorum Imperatori* junctus proſtravit Poloniam,
ſervavitq; ſuis non ſatis fortes Gothorum copias.
Sic ex *Amico Hoſtem* poſtea in Dania
profligavit, *magnoque Amico* diadema regium
vacillans firmavit, pacem Aqviloni reſtituens,
acqviſita Majeſtate, auctisque ditionibus.
Cæſaris amicus eſt, amicus *ſibi*, hinc amicus omnibus
Sed & *Illi* ſunt amici, quòd hoſtes eſſe neqveant.
Verùm rectè faciens neminem timet Fœlix qvem invidia
ſemper ſeqvitur, ſemper oppugnat, nunqvam ſupprimit !
Potentiæ propriæ robur & incrementum addunt maximum
Confœderationes potentiſſimorum Europæ Principum,
Qvi acceſſu *Ipſum* honorant atque donariis.
Nam & *qvinque Regum* eodem tempore

In *Ejus* Palatio Ambaſſiatores vidimus,
Scimus & *Sarmatarum Reginam* contra injurias
fortium adverſariorum ibi ſollicitâſſe auxilia.
Legatos vidimus *Cæſaris*, & quod notabilius,
ſuperbos, Moſcos, truces rapacesque Tartaros
ſe ante *Heroa* proſternere vidimus.
Sic Imperatores barbari virtutem *Principis*
venerantur, & Oriens occidentem ſuſpicit,
magnamque ex longinquo famam auget præſentia.
Regium *Dynaſtæ* corpus imperatorios fovet ſpiritus.
Regali ſceptro dignus *Vir*, *Vir* dignus Imperio,
quod & olim contuliſſent *Imperii Proceres*,
Præpotentis Domus Auſtriacæ ni præponderâſſent merita:
Sique Calvini odioſa non obſtetiſſet religio,
quam *Ipſe* amplectitur ſeqviturqve fervidè
&, bonum quod decet Principem, promovere nititur.
Non ignorans qvid debeat Reipublicæ & qvid *Sibi* Respublica.
Poloniæ hæc *Illi* forſitan præcludit ſolium,
& Tiarâ fulgida olim impedivit connubia.
Subditorum, qvorum milliones aliqvot, pars vix centeſima
eadem cum *Domino* ſacra, vel pontificia, peragit
Reliqui dogmata Lutheri normam agnoſcunt fidei.
Hinc tyrannica illa Eris eccleſiaſtico-Scolaſtica
vires capit, clasſium quàndoque canit ungvesque acuit,
ſanctisſimam ut tranquillitatem politicam
invadat, & pertinatiâ turbet diſtrahatque unanimia
concivium vota fruſtra ſufflaminantibus Irenicis.
Dies apperient, utrum beaturus ſit patriam
ſecundis nuptiis, an viduitate perpetua,
Poſtquam nuper *Conjugem* amiſit *excellentisſimam*,
Quæ tres populo eximiosdedit *Principes*,
Apollinis, Martis & Dianæ conſecraneos.
Hæres ſceptri Cameralis, ſpes ingens omnium,
Patris jusſu laudata *Patris* veſtigia ſequitur,
CAROLUS ÆMILIUS, alter (ſic ominor!) forſitan
JULIUS CÆSAR, *Orbis Lux Maximæ*.

Aſt inter mortales ſine labe nemo naſcitur.
Sunt vitia communiter virtutibus contermina,
& magnum absque mixtura dementiæ vix eſt ingenium
Ergo Sed *Numen* ego teſtor *omniſcium*,
me nullos noſse *Principis* corruptos habitus.
Fama invida, mendax & iniqvus cenſor morum Principalium
Huic, ædepol! benigna favere per omnia
mihi videtur. Aſſurgant Momus, Argus & Zoilus,
quærant quod culpent, fortasſis invenient.
Multa famæ latent, receſſus obſconditos
non cuivis, nec mihi perſcrutari datum eſt.
Animus Regentis ut reddatur vegetior,
alternam requirit requiem, poſt labores arduos.
Sic amârunt pilam Alexander & Veſpaſianus:
Auguſtus ſæpe recreabatur piſcationibus:
Picturâ Hadrianus: Antonius Muſicâ:
Librorum theſauro Ptolomeus aureo.
Architectonicâ Cæſar præſertim polemicâ:
Trajanus & Pompejus perſequendis beſtiis.
Hos Princeps ſequitur *optimos Principes.*
Balnei loco, ſanitatis cauſa, utitur ſphæriſterio:
Dionyſii & Apellis opera juſto redimit precio;
Symphonia *Ipſum*, ſed maximé Bellonæ, recreat:
Bibliothecam nuper inſtructam bellisſimè
auget & æquiparat Gazophylaceo:
Palatia exſtruit magnifica, & fortalitiis
erectis ſecuritatem acqvirit populo,
ſuam, uti decet, firmat augetque potentiam,
gratam amicis & clientibus, formidabilem hoſtibus,
& quam aſyli inſtar, oppreſſa vicinitas,
rebus jam turbulentis venari incipit.
Venatur etiam, at venator eſſe renuit.
Fritillo delectatur, ubi otioſus, chartulisque luſoriis,
fallendi temporis causâ ſe nonnunqvam falli ab aliis,
aliosque exinde diteſcere, haut inclementer ferens.

Aulam nutrit ſplendidiſſimam, ducitque familiam
numeroſam magis quam qvidam ex Regibus:
& inter Status Miniſtros non *Barones* ſolum & *Comites*
excelſos, ſed & *Principes* togâ & ſago celſiſſimos
habet obſeqvio, qvibus maxima pendit ſalaria.
Sed quæ authoritatem ſplendore imbuit majeſtatico,
nonne *Principe* digna eſt & prudens jactura pecuniæ?
Magnorum obſeqvium Majoribus in lucro eſt maximo.
Æmulorum frangit invidiam; civilem frœnat inſolentiam,
Ducum auget dignitatem; gregaris fervorem excitat;
Sociis confidentiam, adverſariis timorem incutit;
Plebejorum conciliat venerationem, Generoſis addit ſtimulum.
Qvòd ſi impenſarum minueretur magnificentia:
& familia aulica aleretur paulò parcius:
ſi per æqvatoribus æqvitatis obſervatio
injungeretur aliqvantilum rigoroſius;
ac tributorum onera, quæ bellorum neceſſitas
inevitabilis impoſuit fovetque, decreſcerent;
propagandæque religionis, ſacrum langveſceret ſtudium,
nil haberent ſubditi quod culparent *Principis.*

PA-

PALATINUS.

O*Ctovirorum* chorum claudit *Comes Palatinus.*
Sacri Romani Imperii Archithesaurarius,
Regia Imperatoriaque proſapiâ celſiſſimus,
& Solis inſtar coruſcans inter *Proceres*
Mundi, eruditione, virtute, judicio.
Majeſtatem vultu inceſſuq; referens,
ingentes Spiritus corpore continet gracili.
Venerandâ modeſtiâ imitatur Germanicum;
Saturnum Hiſpanicum Mercurio temperat Gallico.
Gallico an Germanico ortus ſit ſangvine
diſputant, dubiam qvi tribuunt patriam
Magno illi Carolo, ex cujus nepotibus
cum Lotharingicis *Iſte* trahit originem,
Interim externis Gallum refert moribus,
Germanum internis, temperamento fœliciſſimo.
Nonne ex internis Germani & Galli externis moribus,
ſine moribus externis Hiſpani & internis Itali,
mixtura ſit Viro Politico convenientiſſima?
Primus eſſet *ſecularis Senator Anguſtiſſimi conſilii,*
Si Patris adeò infœlix non fuiſſet expeditio.
Oppreſſionis initium conſangvinei haut amici fuit exaltatio.
Sic una laux non attollitur, ni deprimatur altera.
Verùm exſpectationi piæ atqve diutinæ
promiſſæ occaſionis favor non deerit.
Imò *DEUS ſæpe inſperata explicat,*
Interea fortunam volubilem inter dubia,
Virtutem inter certa prudens ſapiensque numerat.

intricata *Præſulum*, qui cura multa & amore nimio
dignantur peritura bona & ſeculi negotia,
Ingrata hinc & crebra pullulant diſſidia,
& nuper bellorum orta ſunt incendia,
quæ jure æque ac facto extinxit fortiter
vigilantia *Caroli Ludovici*, utroque auxilio
Minervæ freta: nam & ipſe copias
inſtruere & ſelectiſſimæ manui militum
faculam præferre novit *Princeps*, maſculè
iniqua infringens hoſtium molimina.
Ex Provincia licet non ampla reditus ſufficiunt
Aulæ & Exercitui: efficit hoc prudentia,
ac quod Pluto negavit rependit Sophia,
Virum ſtellis inſerens ac ſapientis fulgidam
Ipſi per Orbem famam inter ſummos concilians.
Sic prudens Inimici non extimeſcit aſtutias,
& hoſtium enervat invidiam, invalida reddit conſilia.
Omnia prævidens cautè declinat ſcopulos,
ſuamque inter brevia & ſyrtes naviculam
ſervat, prudentia tryumphante de potentia.
Sic ſapiens ſuorum pernoſcit penetralia
mentio, & aulici perſpectum habet animum.
Spectator eſt & teſtis cujusque virtutis & ignaviæ.
Theologos *Ipſe* tentat, probat, reprobat:
& Jurisperitorum ſuſcipit examina:
Philoſophorum dijudicat certamina,
atque mercatorum componit litigia.
Ipſe ſuis videt oculis, *Ipſe* ponderat omnia.
Caput bene conſilium dandi eſt, noſſe Rempublicam,
noſſe ſuos & ſecretis invigilare hoſtium.
Conſilia audit etiam, nec elingvem vult eſſe curiam,
cupitque ut miniſtri non cum fortuna *Principis*,
verum cum Ipſo potius loqvantur *Principe*.
Effrœnem interim Parthesiam non approbat,
ſed modeſtam orationem reqvirit conſulentium
& longe alienam ab omni arrogantia;
Ad conſentiendum *ſibi* libertatem pleniſſimam

reſervans, violentiam ad perſvadendum reſpuit.

Indicantis amat ſinceritatem & rationes ponderat
ſeqviturqve, ſi ſuas ſoliditate ſupereat.
Cogi non vult, ne docentis commendare ſapientiam
videatur. *Adeo mens alta neſcit obſeqvium.*
Conſtantia ſolidæ ſcientiæ eſt indicium.
Nec poteſt niſi prudens unum agere hominem,
At contumacia extrema ſæpe cauſat diſcrimina,
& confidentia nimia ſecuritatis noxiæ mater eſt.
Differunt in eo Philoſophus & Aulicus:
Hic placere ſtudet; Illi ſtudere perplacet.
Sed Princeps privatorum non conſtringitur regulis,
quamvis Antonino Philoſopho & Principi,
teſte Capitolino, alia fuerit ſententia.

Cùm *inter multos male ſecura ſit taciturnitas,*
Paucis uti ſolet ſed ſelectis conſiliariis,
judicio, dexteritate, eruditione pollentibus.
Otio qvos torpeſcere permittit minime:
Et licet nimia nulli, certa tamen omnibus
& ſingulis, idqve tempeſtivè, pendit ſalaria.
Utiqve bis gratum eſt, quod opus eſt, ſi des celeriter.

Nullum religioſius colit Numine ſilentii.
Non Cicerones tantum amat ſed & Harpocrates.
Sæpe Hephæſtionicus ſuis admovet annulum.
Haut favet ſenatoribus illis nugigerulis,
qvi in tonſtrinis & circulis de Republica
differunt, ſcientiamque in fronte gerunt & labiis.
Silere novit non lingvâ tantum ſed & animo.
Exemplo ſuis eſt taciturnitate & eloqventia.
Illa tutiſſimum rerum gerendarum eſt præſidium.
Cui tacere grave eſt, ineptus eſt ad gravia.

Blandus eſt ſupplicantibus, & ſine contemtu facilis

Comitas Magnorum multis carior eſt pretio.
Juſta Principis ſtatera & lapis lydius
eſt converſatio & fidelis inquiſitio,
qvibus animos hominum explorabit fœliciter,
Perveſtiganda mens eſt, fallax faciei diſcerniculum;
Eſtqve ingentis prudentiæ ſcaturigo curioſitas,
quæ comitatur ſemper multa ſciendi deſiderium,
& creſcit amor ſciendi quantum ipſa ſcientia.
Riſus *Ei* non eſt multus, nec ob multa, effuſus minimè.
Sales amat dentatos. Jocis ludit ſine vilitate.
Affectum vix intimis indicat. Nil admiratur facilè.
Tardè promittit. Quod poteſt pollicetur. Strictisſimè
promiſſis ſtare, *ut Principem decet*, nititur,
Punit qvantum debet. Condonat qvantum poſſibile.
Cum loqvitur, videtur. Tacens mente loqvitur.
Colloqventium ſinceritatem qvæſtionum tentat diverticulis.
Sycophantas confundit. Ardelionum ridet ineptias.
Delectatur paradoxis. Nullis opinioni ſe mancipat,
Vulgaria de lamiis & ſpectris anilibus accenſet næniis.
Animum peregrino obduravit in Orbe, hinc nulla frangitur
fortunâ. Tantâ lingvarum pollet ſcientiâ,
ut mentem dextrè exprimat Europeis ferè omnibus.
Nunqvam minus otioſus eſt, quàm cùm otioſus: ad minima
intentus, maxima *Ipſe* expedienda ſuſcipit,
quod reſtat ſuis committit. *Ipſe* movet, moventur reliqvi.
Decretorum ac reſponſorum Mæandris conſulentium
atqve ſupplicantium quandoqve exercet patientiam,
& quaſi ludens, perſpicacitatem explorat conſultantium.
Moderatâ diffidentiâ nil Palatino judicat utilius,
nil circumſpectâ confidentiâ dignius Politicos.
Amat ingenios, non Sesqvi-Ulyſſes, Polypos,
Statiſtas perverſos ſeu Status carcinomata,
qvi ſe ita poſſe ſervire DEO autumant,
ut amicus maneat Mundus nec offendatur Diabolus:
in vanis laborioſi, ingenioſi ad utilia,
ad honeſta ſtupidi, ac de intereſſe Domini
nunqvam cogitantes ut non ſimul computent.

Incly-

Inclytum & amœnum, quod Myrtilleti habet, Atheneum,
ſublimia & edecumatæ eruditionis ingenia
illuſtrant, quæ Patris inſtar fovet. Tum ut exercitiis
Corporis Juventus robur acqvirat & firmet agile,
Palæſtram Palæſtricis vult eſſe inſtructiſſimam,
ſed quam Hippicomicæ Magiſtrorum celebris
Anteſignanus & facilè Princeps commendat maximè.
Liberalitatem, quæ propria dos eſt Principum,
hilari manu exercet, ſed tamen cum judicio,
ne nimia liberalitate pereat liberalitas
Orphicam degit vitam, & primam Tiberii
imitatur frugalitatem. Sobrietatis amans, ebrios
ridet, deteſtatur ebrioſos comparatque fatuis:
Et raram ex cyathis quærit victoriam,
morem propinandi Palatinum improbat veterem.
Stultum eſt alienam hauriendo ſalutem, propriam
profundere, & gulâ ſuperare velle beſtias.
Hæc incitamenta ſublimen non ſubjugant animum.
Magnum in abſtinentia robur ſanitatis eſt.
Sani autem Principis ſanior Reipublicæ
eſt gubernatio, quam ejus qvem ægritudines
continuæ laſſant & moroſum efficiunt.
Morbi *Principem* infeſtantes rariſſimi
modicum admittunt pharmacum idque ſimpliciſſimum,
quod uſus comprobavit. Imperioſis rariſſimè
Medicorum juſſis ſe conſtringi patitur.
Quid magis naturæ contrarium eſt viribus,
quam crebra medicamentorum mutatio & copia?
Diteſcentibus Medicis & Fiſco augetur publica calamitas.
Ut parvâ feſtuca facilè turbatur oculus,
Sic principum gratia ſæpius vel minima

quamvis variis varios *Divini Numinis*
permittat cultus, licetque Ipſe varias
cum variis de ſacris ventilet ſententias.
Unde Vulgus *Ipſum* facillare autumat,
ut puto, ſtolidè, ignorans proprium ſcientiæ.
Veritatem cribrando defœcatiorem efficis.

Ut rempublicam quam Mars & Mors depopulati ſunt,
fœlicius & citius reſtauret & ſtatuminet,
præter Papiçolas, Lutheri & Calvini aſſeclas,
cum Judæis hæreticos, ſciſmaticos, fanaticos
extraneos à fide, quò ſubditorum augeat numerum,
admittit, tolerat: ſed errones tantum, turbones minimè;
& qvorum diſplicet fides, eorum amatur fidelitas.
Religionis veræ non eſt, religionem cogere,
Inolita opinio exagitata in rabiem convertitur,
Simulatio imperari poteſt, fides nunqvam poterit,
nam ſolus Omnipotens dominatur conſcientiis,
Et qvoties ſcelus tegit cœlum Zeli velamine?
Religionum multitudo mentium carnificina eſt melior,
Superſtitioſos illa facit; hæc verò atheos.
Hæc nullum habet; illa multos cultus Numinis.
Veri perſvaſio variat ut hominum facies.
Omnes ſumus homines, qvilibet credit ſe credere optima,
& opinionem, quam ſors naſcendi inſtillavit, communiter
cæteris, pertinaciter præfert, ſubtilique ſuperbia
reliqvorum deſpicit ſatum, damnat conſcientiam.

Recreationes *Principis* tempeſtivæ ſunt & modicæ.
Difficiles reſpuit nugas, *ſtultus enim labor eſt ineptiarum.*
Theatricis nonnunqvam exhilaratur ſpectaculis,
& laſſos venando refocillat ſpiritus,
innocuisqve ſclopetariorum certaminibus
Director, brabeuta & collega intereſt ſœpius.

Miniſterium aulicum alit ſatis nobile,
quod neceſſitati ſimul & ſplendori ſufficit,
rebus ſic ſtantibus. Luxus atqve ſtudium
langventem & Marte contritam relevandi patriam,

pari

pari paſſu ſeriò ambulare neqveunt.
Gnydi Deæ *Ipſum* quandoque aduri flammulis,
Numinisque cœci tangi ſpiculis, notum eſt.
Hinc *Conjugis* olim amatiſſimæ ortum eſt repudium,
ſeu, ſi mavis, ſpontanea temporique accommoda ſeparatio,
inqve thorum Amicæ, matris ſat fœcundæ, receptio,
& Puritanis ingens natum eſt ſcandalum:
Datumnè illud ſit, an acceptum, lis eſt judice.
Miraris ? Heroem ſic oppugnari, quæ *Heroibus* familiaris paſſi-
novi nihil eſt. *Semper ſummis adjacent proclivia,* (uncula,
Exiguus in pede nævus, in fronte eſt maximus.
Verùm nec Luna, imò nec Sol, ſine maculis.
Et tamen luce, calore, curſu gratiſſima cunctis ſunt ſydera.
Cum neceſſariis qvibusdam Ipſi non adeò intima
intercedit amicitia. *Rara fratrum eſt gratia*
inter magnos præſertim virtutumqve æmulos.
Onerum varietate non gravaret ſubditum,
cui poſt tot paroxiſmos tamen medulla ſupereſt
adhuc, ſi belli ipſum non urgeret neceſſitas:
Si non cogitaret paterna ſolvere debita,
qvibus novercans olim & ſævo læta negotio
Fortuna nimis oneravit ærarium,
& ita ſpem creditorum fatigatam erigere:
Si Pater iniquè poſteritati & ſangvini,
futurorum providus, nollet proſpicere:
Sique fortalitiorum exſtructionibus neceſſariis
invigilare ceſſaret ſecuritati publicæ.
Cæterùm, curâ poſterorum tactus & populi,
Unigenitum heredem Carolum, verè *Principem,*
Commodi cui corpus eſſe dixeris, Antonini animam,
unî cum *Sorore Principiſſa Virgine,*
Heroinæ *Avia*, *Matris* Heroinæ, Heroina *Filia*,

REX THEODORICUS
AD SENATUM.

Facilius eſt, ſi dicere fas eſt, errare naturam, qvàm diſſimilē ſui Princeps poſſit formare Rempublicam.